

Q. K. 355, 27.

X 1904925

II u  
220

Q. D. B. V.

De

# NOCTAMBULIS

DISPUTATIO PRIOR.

Quam

WITTEBERGÆ

A. D. XXIIX. SEPTEMBRIS, A. C. clō Iōc XLIX.

*Disquisitioni sistunt publica*

PRÆSES

M. SAMUEL POMARIUS,

SILESIUS,

ET RESPONDENS

JOHANNES FABIGER,

VVITTEBERGENSIS.

*Habebitur in Auditorio Minori horis  
matutinis.*

EDITIO TERTIA.



Impensis & Literis MICHAELIS Wendi / 1661.



C 672

Q II.



1774

G. D. P. V.  
DC

NOCTAMBULLIS

DISPUTATIO PRIOR.

WITTEBERGAE

A. D. MDCCLXXIX, SEPTENTIBUS, A. C. DE J. XLV.

Disputatio prior  
P. R. E. S. S.

M. SAMUEL POMARIUS,

SILESIUS,

ET RESPONDENS

JOHANNES FABIGER,

WITTEBERGENSIS.

Edictum in Auditorio  
M. C. C. C. C.

EDITIO TERTIA.

Imprimus in Typographia  
M. C. C. C. C.



DC





## IN NOMINE DOMINI JESU.



Omnes Animalia ob salutem divinitus datus est. Movetur grave corpus de loco ad locum, musculosque instrumenta motus fatigat nimium quantum. Sensus etiam externi ipsi saturantur ac defassantur ad extremum plus satis, videndo, audiendo, gustando, olfaciendo, tangendo. Hinc absumuntur Spiritus animales sensim ac sine sensu, motus ac sensus omnis principia. Nec res hunc teneræ possent perferre laborem, si non tanta quies iret laborem inter, & exciperet somni indulgentia vigilias. Nam quod caret alternâ requie, durabile non est. Solvitur ergo in dulcem soporem animal, & refectioem quandam ac instaurationem virium præstolatur. Massa tum cibi, quæ ptisanæ morem in ventriculo induerat, in chylum transformatur expeditius, & venarum lactearum ope ad epar traducitur. Quiescente namque facultate animi, naturalis validius agit. Ut vitales spiritus primum generentur, quibus animales originem debent, cor calorem ad se & vicina membra trahit, spiritui naturali coquendo elaborandoque. Hinc frigidiora noctu exteriora membra, ob calorem in somno retrogradum. Calor circa cor auctus ebullit identidem, & è ventriculo, ceu ex ollâ quâdam edulis pluribus refertâ, vapores ac exhalationes continuæ versus cerebrum missæ radicibus nervorum illabuntur, eorumque sinus ac meatus obstruunt. Jejunis cæteroquin ac famelicis ob id

Somnus brevior rariorque, quia nihil quod è ventriculo ad-  
 scendat, suppetit. Hinc deinde intercipitur copiosior vita-  
 libus spiritibus ad superiora adscensus, & animalibus ad infe-  
 riora descensus. Jacet ergò immotus truncus, & quietem ca-  
 pit innocuam, usq; dum alimento percocto calor ad externa  
 rursus diffundatur, vaporesq; in capite discutiat, & ad or-  
 gana motûs sensuumq; spiritibus viam sternat ac restauret.  
 Tunc experrecti omnes robustiores evadunt & vegetiores, &  
 acres alacresq; quod instat agunt. Major post oia virtus.  
 Tanta tam divini Beneficii nobilitas, utilitas tanta! At ut ni-  
 hil ab omni parte beatum, nec uspiam fermè purpuram ul-  
 lam faustitatis contempleris, cui non lacinia aliqua miseræ  
 attexta: ita & hoc commodum incommoda propè non mi-  
 nora excipiunt, quæ in animalia, ac principem animantium  
 Hominem, pleno redundant alveo. Non tangam id, quod  
 Plutarchus habet: *Cùm exiguum vitæ tempus datum sit homini-  
 bus esomnus velut publicanus dimidium ejus aufert.* Nam ad usus  
 hic fit rei optimæ, & iniqua detraçtio annorum nostrorum.  
 Impudens eorum querimonia est, qui naturam accusant,  
 quod hominis vitam tam angustis spaciis finierit, cùm ipsi ex  
 eo, quod datum est, sibi spontè tantum amputent. Vigilia est  
 vita nostra, & hoc diutiùs homo vivit, quo majorem tempo-  
 ris partem operis suis impendit. *Dum ista (ut ait M. Varro)*  
*missitamus, pluribus horis vivimus, dicit Plinius Præfat H. N.*  
*Aristoteles hinc L. V. de generat. animal. c. 1. ὁ δ' ὕπνου εἶναι*  
*δοκεῖ τὴν φύσιν τῶν τεσσάρων, ἴσον τῆς ζῆν ἢ μὴ ζῆν μετέχειν, καὶ*  
*ἔτε μὴ εἶναι παντελῶς ὁ τε θηύδων, ἔτε εἶναι.* Et Plinius ele-  
 ganter L. VII. c. 50. *Malignum verò & breve in his etiam, quibus*  
*largissimè contigit, universum utiq; ævi tempus contuentibus. Quid,*  
*quod estimatione nocturnæ quietis dimidio quisq; spacio vitæ suæ*  
*vivit? Pars aqua morti similis vivitur aut pœnæ, nisi contingit*  
*quies: nec reputantur infantia anni, qui sensu carent, nec senectæ in*  
*pœnam vivacis. Nec in illud excurram spaciosius: cùm somnia*  
*nos fallaci ludunt temeraria nocte, gaudiaq; ambiguan dant-*  
*què negantq; fide. Sæpè quoq; sub primum somni tempus*  
cutis

cutis horrore, totum corpus rigore inæqualiter concutitur, ac præter voluntatem agitur: stimulata nempe Facultate expultrice in partibus membranosis à frigore aut aliâ acrimordaciq; re, ac musculis in ambitu corporis in consensum tractis ac ad concussionem talem concitatis. *In cogitationibus visionum nocturnarum, quando cadit sopor super homines, pavor evenit mihi & tremor, & multum ossa mea pavere fecit: & Spiritus coram me transivit, horribiles fecit pilos carnis meæ: stetit & non agnoscebam conspectum ejus, imago coram oculis meis erat, & tenuem vocem audivi, dicit Eliphaz Themanites Jobi IV. 13. 14, 15.* Et Jobus ipse queritur, noctes laboriosas sibi multas fuisse *Cap. VII. 3.* Nec res me aut verba deficerent, super eo somni symptomate edisserere aliquid, cum aut humor pituitosus, sive vi narcoticâ præditus, cerebrum irrigando, ac spiritus animales torpidos reddendo Lethargum inducit Carumvè, hoc est inexpugnabilem dormiendi necessitatem: aut ex opposito propter nimiam inediam, siccitatem cerebri, exhalationum svavium defectum, spirituumvè agitationem non intermissam, sensus communis ac externi ultra modum ac tempus constitutum exercentur, & immodicis vigiliis præter naturam destinentur. Quid Incubo memorando incumbam, in faulto ac infesto dormientibus malo? Ubi juxta Virgilium *XII. Æneid. q. extr.*

-----nequidquam avidos extendere cursus  
 Velle videmur, & in mediis conatibus agri  
 Succidimus, nec lingua valet, nec corpore nota  
 Sufficiunt vires, nec mox aut verba sequuntur.

Vapores crassiores in hypochondriis ac venis mesaraicis collecti, ubi scil. propter primæ coctionis multa excrementa sanguis impurior plurimis hæret, in thoracem ascendentes, diaphragma & pulmones comprimunt, ac respirationem interceptiunt. Quibus in fauces quoq; ac cerebrum insinuantibus, & posteriores cum primis cerebri meatus, qui ad initium spinalis medullæ tendunt, obstruentibus, vox ipsa eliditur, sensus ac mens obturbatur, visisq; tristibus offenditur. *Accedit*

dit Phantasia, milleformis Proteus, ac Idolum oneris alicujus incumbentis sibi imaginatur, à quo supprimatur corpus & suffocetur tantum non. Non aliter ac ibi, cum in aliquâ corporis parte latens causa morbi aut dolor præstò jam est, Anima hoc sentiens, vulnerari ægrum, à bestiis morderi, aut crus lapideum habere somniat. Talia aliâq; sunt, quæ interturbant animalium requiem, & præstigiis ac terroribus intestant non paucis. At sufficiat ea hîc primoribus tetigisse digitis. Unum est, quod versandum nobis paulò studiosius impræsentiarum sumsimus, & publico exponendum. Istud inquam, cum certos hominum constat certo tempore, ubi somno jam dedere pridem se, forti quâdam Imaginatione motos surgere iterum, & ignaros omnium quæ agunt, oculis modò clausis, modò apertis, hinc inde oberrare in domo, fenestras, scalas, turres ipsas conscendere, ædes reserare ac obserare, & ad summam, ea patrare, quæ sanis vigilantibusq; indecora aut intuta. Mirares, dormire hominem pariter ac vigilare, & nec dormire tamen, nec vigilare. Ita Sensûs externi cum Locomotivâ in libertate captivitatem, & in captivitate libertatem suam habent. Mirabimur ista, & quantum pote, diligenter rimabimur. Juvet nos Vigil Costos Israël, qui neq; dormit!

§. I.

Quò autem de hoc dubio hominum statu indubii aliquid afferre liceat, ab eo cum primis puncto totius hujus tractationis linea ducenda erit, quod Homonymiam nobis tollat. *Errori siquidem affinis ambiguitas est, Scaliger Exerc. cXLVIII. 4. Et sine distinctione vocis ambiguae, velle ad rei considerationem venire, est velle tempus perdere. Galenus l. 1. de method. c. 5. Sunt aliqui, qui furum raptorumq; imitati indolem noctu iter faciunt, quò fallant securius, & sub umbone tenebrarum opera sua tenebrarum tegant fidentiùs. De quibus Horatius lib. 1. Epist. 2. vers. 32.*

*Ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones.*

Possunt

Possunt & Noctambulis accenseri Studiosi illi Lovanienses, quorum proterviam Jesuita Bellarminus ita perstringit Tom. VI. Oper. Conc. 6. Quis ignorat, multos esse, qui Lovanium veniunt, ut Doctores fiant in Jure, & fiunt Doctores in choreis & in gladio? Quàm multi sunt, qui cum ad Parentes suos redeunt, si queratur ab eis: quid Lovanii didicistis? responsuri sunt, si verura dicere velint: didicimus vagari totas noctes per plateas: didicimus districto gladio bellum gerere cum lapidibus: didicimus multa & nova genera chorearum: dicimus uno haustu bibere medium poculum: didicimus pecunias nostras, quæ uuum mensem duratura erant, unâ horâ consumere. Notemus hæc obiter, & oggeramus ea Socio Cardinalis Contzenio, acerbè nimis ac virulenter Almæ Wittenbergæ nostræ ob luxatam laxatamq; Scholarium disciplinam insultanti Lib. IV. Politic. c. 14. Ὅσον καὶ τὸ ἐχθερὸν μαρτύριον. Si tamen alieno luto nostras maculas eluere possumus. Quadrant huc appositè, quod B. Franzius movet part. 1. Histor. Animal. c. 25. Quæri solet ab Eruditis joci gratiâ, utrum in unâ urbe possint esse Antipodes, & respondetur affirmativè. Nimirum antipodes nostri sunt nostri belluones, qui habent diem seu lucem, quando nos noctu dormimus, & vicissim ipsi dormiunt, cum nos in die seu luce operamur. Sed de his agere, nec operarum nunc, nec partium nostrarum est. Ciceronis illud in Lælio cogitamus: Satis superq; esse sibi suarum cuiq; rerum curam, alienis nimis implicari molestum esse.

§. 2. Dantur &, qui per plana iter faciunt, ac inter eundem connivent ac obdormiscunt, dormientesq; aliquousq; progrediuntur. Ut & aurigas ita vidimus equis insidentes ac semisomnes, scuticam nihilominus validè moventes; aut mulierculas cunas agitanter, & somno tamen indulgentes. Hunc in modum Galenus de seipso scribit, Lib. 2. de motu musculorum cap. 4. Sedentes sæpè quidam dormierunt, & nonnulli deambulantes: & hoc equidem audiens, antea non credebam. Cum autem fuit opus aliquando per rotam noctem iter facere, experientiâ rem ipsam edoctus, coactus sum credere. Fermè enim stadium integrum dormiendo peregi & somnia videns, nec prius excitatus sum.

sum, quàm in lapidem impegerim, & id est profecto, quod non per-  
mittit dormienti iter facere longum, quia non potest exactè levem  
viam nancisci. Id igitur solis expertis credibile est. Sed nec hi  
propriè ad nostram spectant Andromachen. Non è lecto sur-  
gunt, quippe jam antè ad quietem consultò compositi, ut No-  
strates. Non à phantasiâ ad ambulandum aut movendum se  
impelluntur, sed jam inantè ambulabant, jam inantè move-  
bantur, & nunc semisopiti ac levisomni, quam vigilantes orsi  
fuerant telam, dormientes aliquandiu pertexunt: idq; item  
ex semisse.

§. 3. Eos ergò intellectum hîc volumus Noctambulos,  
quos Jacobus Horstius Medicus Helmstadiensis, in erudito  
suo Tractatu de Naturâ, Differentiis & Causis eorum, qui dor-  
mientes ambulant, tum seorsim excuso, tum illi annexo, qui est  
De aureo Dente maxillari Pueri Silesii, Cap. IV. ita describit:  
Noctambulones sunt homines inæqualis complexionis, aut frigidio-  
ris aut humidioris, aut utriusq; simul in cerebro: ne ideò in valdè  
profundo somno sensus & motus nonnulli ferientur, & calidioris sic-  
tiorisq; cordis & epatis, ita ut calore sanguinis astuent, & agilitate  
spiritum mens, cerebrum, & organa alia motus in illis, admo-  
vendum sese spontè, ac varia opera Locomotivæ peragenda, quàm prom-  
tissima evadant. Levinus Lemnius De occ. natura miraculis l. 2.  
r. 5. ita de iis: Contingit nonnullos in florenti equidem vividaq; æta-  
te (nam seniculi utpote spiritu vitali vel extincto, vel flaccido, tale  
quiddam moliri nequeunt) intempestâ nocte, vel antelucano, exilire,  
ac Lecto se subducere, quæq; accessu aditusq; vigilantibus sunt difficilli-  
ma perficere, eaq; tam inoffensè peragere, ut nemini non spectantium  
admirationem stuporemq; incutiant: quod si illos non interpelles, nec  
ab incæpto revoces, sensim se denuò in lectum referant. Aristotelis  
classicus hanc in rem Locus est Lib. V. de Gen. animal c. 1. Συμ-  
βαίνει καὶ καθύδνου αἰσθησις τοῖς ζώοις, ἢ μόνον τὰ καλὰ μέρη  
ἐνύπνια καὶ ὄρα τὸ οὐύπνιον, καὶ περὶ τοῖς κλισιμένοις καθύ-  
δουσι καὶ πολλά πρῶτην αἰσθητὴ ἐνύπνια ζῆν εἰσι γάρτινες οἰκα-  
θεύδοντες ἀνίσταται, καὶ πρῶτοντα βλέπονται ὡπερ οἱ ἐγρηγο-  
ρήτες, h. c. Accidit dormientibus etiam animalibus sensus, non  
mode



modo que somnia vocantur, sed etiam præter somnia, ut iis, qui dormientes resurgunt, & quidem plerâq; agunt sine somnio. Sunt enim qui dormientes resurgant, & ambulent videntes eo modo, quo qui vigulant. Hos Noctambulos aut Noctambulones pleriq; Autorum vocant. Rectius forsan Somnambulos dixerimus, cum etiam sani noctu ambulent: iudice Dn. SENNERTO Lib. 1. Pract. Medic. part. 2. cap. 19. & Instit. Medic. l. 2. part. 3. sect. 1. c. 7. p. 316. it. sect. 2. cap. 4. p. 406. & post eum Dn. D. MARTINI p. m. Centuriâ VI. Quest. Illust. Disp. 3. Quest. 4. Item Exc. Dn. SPERLINGIO Tractatu de Animâ Sensitivâ Cap. XV. Quest. 5. Nobis integrum erit prius retinere nomen, usu magis tritum, & huic affectui dudum speciatim vindicatum. De cætero tamen in vocabulis nemini litem intendemus, modò res constet. Nominum possessio neminem facit divitem.

§. 4. Ordine autem ut progrediamur, sine quo Natura constare non potest, & quo nihil vel in animo vel in opere Sapientis admirabilius est, Scaligeri præconio Exerc. II. tribus includemus Membris totam Dissertationem. Primùm Exempla aliqua & Historias Noctambulorum dabimus ex Clarissimis Viris. Tùm quod Exempla in Physicâ Scientiâ utramq; faciunt paginam, & cum Ratione ei fundamenti vicem sunt: tùm quod ad τὸ δῖόν progressus haud patet, nisi prius τὸ ὄν conspicuum: tùm quod surdo narraremus fabulam, si rudiores quosdam nomen ac res omnis adhuc lateat, cujus in rationes inquiretur anxie. Nam & Galenus ipse, quod suprâ audivimus, antea id noluit credere, tandem Experimentiâ rem ipsam edoctus, coactus est credere. Et Horstius ipsissimis his verbis laudatum modò Librum orditur: *Multi sunt, qui cum vel causas, cur dormientes in somno ambulent, omniaq; opera peragant, ignorant, vel ipsi tales nunquam viderint, nihil eorum que dormientes perficiunt, utut à fide dignis vel doctioribus referri audiunt, credant.* Deinde in Causas tam admirandi affectûs penetrabimus nos pro viribus. Et tandem Quæstionum Colophonem aliquam addemus.

§. 5. HISTORIAS quod spectat, eas ex multis selectio-

B

rcs

res ecce sequentes. P. Salius Diversus, Medicus ac Philosophus Faventinus, De Affectibus particularibus cap. 18. sic scribit: Juvenem novi, qui somnians se propter negotia sua equitaturum esse, è lecto surgens, indutus vestimentis propriis, cothurnisq; & calcariibus oppositis, super fenestram (nam in tabulato degebat) conscendit, & hinc indeq; divaricatis cruribus parietem, perinde ac si equus esset, & voce ac calcariibus ad cursum incitabat: hic ex somno expergefactus, tanto horrore correptus est, cogitans se per somnium mortem ferè sibi ex præcipitio conscivisse, ut me die sequenti consuluerit ad prohibenda hæc insomnia, quæ ipsum ad obeunda vigilantium munia deducebant. Alterum curavi, qui cum naturâ jurgiosus & contentiosus cum aliis foret, ut plurimum somniabat se cum aliquo manum conferre, indeq; surgens è lecto arma capiebat, gladiumq; evaginatum furiosè vibrabat, perindeq; ac cum inimico pugnans, undiq; parietes & circumstantia loca percutiebat, hunc solum in thalamo dormientem claudere, armaq; omnia inde auferre, ne vel se ipsum vel alterum gladio confoderet, imposterum necessarium fuit, tam diuq; solus permansit dormiens, quàm diu se cognovit à talibus insomniis deprehendi. Præter hos artificem cognovi, qui dormiens è lecto surgebat, è thalamoq; exiens domum ferè totam peragrabat, scalasq; nullo discrimine adscendebat & descendebat. Hic semel nullis indumentis amictus exiens apothecam propriam adivit, eamq; clavibus aperuit, à quâ demum expergefactus ab amicis, qui ei fortè obviam facti fuerunt, maximâ cum verecundiâ & timore, dubitans ne inde stultus existimaretur, non amplius dormiens, sed vigilans rediit. Libavius ait part. 2. Sing. p. 266. Novi sartorem, qui ebrius de nocte surgebat ad naturæ postulatis satisfaciendum, neq; tamen id satis vigilanter. Cùm ergò redire ad thalamum vellet præteriens fenestram in cavædium spectantem, nec clausam, manuq; quasi spondæ latus adesse sentiens, errore deceptus cùm se injicere lecto vellet, in vacuum decidit, & tunc demum à lithostrato aræ inferioris sublatus, vix longo tempore à quassatione membrorum convaleuit.

§. 6. Horstius Cap. 1. memorat: Tres nobiles in arce Bernstein, juvenes, & sat bellicosi fratres, in eodem cubiculo dormiunt, quorum unus nudus è somno surgit, indusium manibus setum aufert, è lecto sese subducit, silens pergit ad fenestram, corripit funem è trochleâ penden-

pendentem, & in domûs fastigium prorepens, incidit in nidum picarum, quem diripit ac dissipat, pullos indufio involvit iterum descendit, ambulat, & ad lectum se confert, pullos cum indufio ibidem abscondit, & bene dormit. Manè expergefactus cum fratribus loquitur, nihil scit, nisi quod quasi per somnium recordatur, fratribus suis hæc verba refert: Narrabo vobis mirabile somnium, visus sum mihi surgere è lecto, ambulare, penetrare ad domûs fastigium, nidumpicarum disturbare, pullos auferre mecum: alii ipsum rident. Nihilominus post hæc & alia colloquia surrecturus, querit in lecto indufium, sed illud pullis circumdatum pullosq; vivos invenit, omnes ad turrim accedunt & nidum fractum expugnatumq; vident. Ita videlicet in hoc non Phantasia tantum tam fortis fuit, ut ageret, quod de die forsan cogitârat, sed & memoria tam fidelis, ut post somnum retineret, quod in somno egerat. Ibidem: Nostis in hac viciniâ aliquem, cujus pro concione mentio facta est, die 24. Martii noctambulonem fuisse, qui cum è lecto surrexisset, de scala descendisset, iter magnum per aream adium fecisset, in culinã venit palpitando, puteum ingressus est, & parieti digitis manuum pedumq; firmiter adhæsit nudus, indufio tantum indutus, nec aquam in puteo nisi simbria indufit palmæ quantitate tetigit, spontè expergefactus fortè gelidæ aquæ contactu clamat: O mein Bein! helffe mir. Domestici auditâ & agnitâ voce, illum querunt, putei parietis affixum manibus pedibusq; inveniunt, si alam cum lucernâ illi porrigunt, sed cum hac ratione redire non posset, urnam illi demittunt, monentes ut ad eam dextro pede ingrediatur, dextrâ verò manu catenum apprehendat, sese extractum iri, quod feliciter factum est, sed valdè refrigeratus in puteo, & in lectulum deportatus obmutescit, & vix palpebras easq; rarias, nec nisi valde excitatus aperit. Schenckius Lib. 1. Observat. 127. ex Adriano Alemanno refert: Refecerunt quendam Parisiis gladio cinctum Sequanam fluvium tranâsse, eumq; interfecisse, quem vigilans interficere proposuerat, ac post patratum scelus domum rediisse, quod si verum est, quis corpore quiete animum dormire putabit? Ibidem ex Textor. in Offic. Theon Stoicus dormiens passim ambulabat, quo etiam morbo laboravit servus Periclis, adeò ut dormiens in summa tecta reperet.

S. 7. Celeberrimus DN. D. SENNERTUS habet hæc Paralip.

B 2

ralip.

nalip. IX. ad Lib. 1. Pract. Medic. Henricus ab Heer Observ. Medic. oppidò rarar. 2. refert, juvenem quendam, cum in celebri Academiâ Poësin profiteretur, interdum mentem in omnia verâsse, ut versûs melius elaboraret, sed quod vigil nequiverat, noctu præstitisse, surrexisse, pluteum aperuisse: scripsisse, sæpè altâ voce, quod scripserat, relegisse, demùm cum risu & cachinno sibi ipsi, applausisse, atq; contubernalem, ut secum plauderet, hortatum esse, positisq; sandaliis & veste, clauso pluteo, chartisq; ut vesperi fecerat, repositis, lectum repetiisse, somnumq; dum excitaretur, protraxisse, omnium quæ noctu egisset, ignarissimum: manè pridianâ sollicitudine adhuc laborâsse, quomodo hiatûs versuum repleret. Cum verò chartas ad suum libitum impletas, idq; suâ manu, videret, attonitum quasi & sollicitum fuisse, boninè an mali genii opus esset. Idem cum uxorem duxisset, eam tamen ut fert conjugii conditio quædam celârat, quoties noctu infantem cunis ereptum ut plurimum gestans, domum per ambulabat, comitanti per omnia uxori quæcunq; rogatus patefaciebat & ad omnia uxoris quesita verissimè respondebat, ita ut ab ambulante & quasi dormiente, quæ à vigili mulier nullis extorsisset illecebris aut artibus, quæ rogare erubisset, simplici interrogatiunculâ sincerè & sine fuce intelligeret, mirante postea nocte ambulo, quomodo quæ secretissima habebat, in uxoris cor linguamq; venissent. Sub annum ætatis 45. somnambulare desit, nec unquam sopitus lecto se movit, nisi prius vino se nimis replevisset. Sed ad bonam causam cum vel tria verba sufficiant, satis superq; quantum conjicio, è tot testibus elucescet veritas omni exceptione majoribus.

§. 8. Nunc ad CAUSAS pervestigandas animum appellimus, è quibus unis vera scientia. Τότε γδ οἰόμεθα γινώσκειν ἄκασον, ὅταν τὰ αἴτια γινώσκωμεν τὰ πρῶτα, καὶ τὰς δευτέρας τὰς πρῶτας, καὶ μέγιστα τῶν σοιχείων, docente Aristotele 1. Phys. 1. Latent autem eæ nimio opere, & abstrusæ in profundo Democriti puteo non nisi laboriosâ cum ope inde exantlantur. Non tamen difficultati cedit industria mens, sed audentior it contrâ, & hoc divitiores gazas repertura sperat, quò profundius se in Naturæ sinûs immerferit. Senecæ illud pensi habens Epist. 23. Levium metallorum fructus in summo est: illa opulentissima sunt, quorum in alto latet vena, assiduè plenius responsura fo-

dienti.

*dienti.* Mittimus autem statim **Causas SUPERNATU-**  
**RALES,** quas admittunt aliqui. *Divinum esse, quod illæ-*  
*si conserventur ambulones. isti, & præter ordinem naturæ di-*  
*vinitus in iis aliquid contingere, tradit Horstius Cap. 2. Ani-*  
*mam hominis tum multò præstantiorem mentem assu-*  
*mere, & multò majora suis potentiis vel viribus, ac planè di-*  
*vina agere. Quod expergefacti, stantes adhærentesq; pe-*  
*riculosissimis locis non cadant, omnem sanè captum ratio-*  
*nis humanæ & physicæ doctrinæ excedere. In apprehen-*  
*sione adeò vehementi tamdiu vires naturales perdurare,*  
*nec defatigatione remittere, reverà aliquid divini miracu-*  
*losiq; esse. Libavius p. 252. huc etiam historiam Petri ex Actis*  
*Apostolicis accersit Cap. XII. 7. seqq. qui somnians quasi è car-*  
*cere educitur per Angelum, quod ille non prius agnosce-*  
*bat, quàm processisset per sat longum vicum, & Angelus*  
*discessisset. Nos omninò Gloriosum Creatorem Nostrum*  
*in omnibus cogitationibus & actionibus, in omnibus nuti-*  
*bus ac motibus nostris præsupponimus. Verè in ipso vivimus,*  
*movemur & sumus, Actor. XVII. 28. At per media tamen agit or-*  
*dinariè, qui Principium & Finis rerum omnium, & consti-*  
*tutum à se semel Naturæ cursum haut interturbat de fa-*  
*cili. Unde cum in hâc subsistere datur, quid velis temerè*  
*sublimiùs adscendere, hâc nonnunquam fini, ut lapsu gra-*  
*vioire ruas. Petri è carcere eductio ex miraculorum genere*  
*citra dubium fuit, quibus opus erat ut crederet mundus, an-*  
*tequam crederet. Hoc largimur. Cætera verò quod at-*  
*tinet, pleraque omnia ex causis naturalibus altiùs perspe-*  
*cta decidi possunt. Anima hominis libera tum est ab im-*  
*pedimento corporis, & in se regressa spirituali modo, ad-*  
*miranda gignit ac pingit phantasmata, ab organorum ac*  
*sensuum externorum famulatio non stipata interim ac di-*  
*stracta. Eruditè Salius Diversus. l. c. Anima corpori an-*  
*nexa, ut docet Hippocrates in libello de insomniis, eidem dum vigilat*  
*homo, ita inservit, ut in multas partes distributa singulis corporis*  
*partibus sive sensibus aliquam sui partem distribuat, videlicet audi-*  
*tui, visui, tactui, gustui, actioni, ac omni corporis facultati, in*

*hęcq; distributione non sui juris est anima, sicuti nec in cogitatione: non enim non potest Corpori suas facultates impertiri, & non potest continuè aliquid non cogitare. Cùm autem Corpus quiescit, anima adhuc in motu est, corporis partes omnes perreptans, easdem gubernat, & omnes corporis actiones perficit. Nam corpus dormiens non sentit, ipsa verò vigilans cognoscit, ac visibilia videt, & audibilia audit, vadit, tangit, tristatur, gaudet, considerat: & in summâ quęcunq; corporis aut animę munia sunt, ea omnia anima ipsa in somno obit, dum anima sive vigilando sive dormiendo hæc agit, semper omnia quęcunq; agat, mediantibus spiritibus, qui sunt propria & immediata ipsius animę instrumenta, exsequitur.*

§. 9. Quod majora tentant viribus suis homines isti, & quę vigilantes vix obirent, depravatio intellectûs est, qui densâ quasi vaporum caligine obductus obfuscatur, & metu omni solutus ac futurorum securus quidvis cœco impetu præcipit. Nulla ibi periculi æstimatio, nulla loci editioris cum depressiore collatio: non affectus affectum elidit aut collectos spiritus animumque in unum intentum ad multa diffundit. Ita ebrii ac delirantes pari temeritate ac incogitantia summis se periculis objiciunt, eaque patrant opera, quę sobrii ac sani haut facerent. Tenacissimè etiam prensant Nostris, quicquid ceperint. Puerum quendam Horstius memorat *Cap. 1.* quoties post cœnam omnibus adstantibus in somnum incideret, adeò profundè eo oppressum fuisse, ut nullâ voce, nec forti commotione facilè excitari potuerit, & excitatus à somno, ac in lectum iterum deportatûs dormierit, manè verò nihil de iis omnibus quę peregerat, vel alii cum ipso perfecerant, sciverit, quicquid autem apprehenderet, sive mensam, sive clavum in pariete, sive mantile, sive vestem, tam firmiter tenuerit, ut manûs ejus vix duo aut tres aperire ac inde auferre possent, ita ut sæpè vestis illi in manibus potiùs relinqueretur, & unâ cum ipso in lectulum deportaretur, donec expergefactus spontè dimitteret. Nempe nervos firmatos ibi adesse oportet, robur item corporis, musculos validos, ac artûs quoq; hirtos ac penè *αιαι θήρυς*, quò non sentiant asperitates parietum. Adde, quod vis unita fortior, & quas  
Anima

Anima opes aliàs hinc inde dispertiri, ac nunc huic, nunc illi membro succenturiare debebat, nunc unis manibus pedibusq; impertit. Quod non cadunt è sublimi, aut consuetudini in alto versandi, aut cerebro sicciore instar avium vel tegulariorum, aut spiritibus admodum fixis ad scribendum, qui ex altissimis locis sine vertigine despiciunt. Funambulorum & petauristarum opera, funem adversum aut erectas perticas adscendentium, circulatorum item per horæ quadrantem aut amplius instar turbinis se rotantium, interimque gladios nudos, cultros, ficas & similia innoxie transtantium, quin & multa fila in foramen acus intrudentium, haud minus advertenda sunt. In Circumcisione Mahumetis Arabs quidam vetustam pilam seu columnam quadrangularem admodum excelsam absq; omni sustentaculo evidente adscendit. *Timidis nimirum nobis* (verba sunt Libavii pag. 269.) *& pigritia corporis torpidis, & molliculos unguis cum nervis enervatis habentibus res ultra fidem humanam videtur: at non perinde agilibus & audacibus impossibilis est.*

§. 10. *Angelos quoq; has in partes trahunt. Horstius dicit Cap. 2. pag. 17. Sanctis Angelis præter ordinem Naturæ illis ministrantibus & alleviantibus merito suam hæc in parte laudem & gratiam tribuimus. Bodinus l. 3. Demon. cap. 6. eos qui inaccessa loca dormientes conscendunt periculosaq; præcipitia, & inoffenso pede per se revertuntur, à maligno spiritu duci putat. Libavius p. 252. illum, quem Horstius notavit, qui per scalas descendens in puteum irrepsit usque ad aquam, à genio quodam eò perductum opinatur. Quomodo & eveniat aliquando viatoribus fessis, ut aberrantes à viâ ad lacus deducantur, præsertim in silvis, ubi videntur sibi lumina videre, quæ aliis sunt ignes fatui, aut inter hiatûs arborum prospicientes è summo è regione positas cæli stellas credunt luminosa pagorum esse. Haut abnuimus iterum, ex divinâ Providentiâ Bonos Angelos custodire nos in omnibus viis nostris, ac manibus portare, ne ad lapidem illidamus pedem nostrum; malos contra genios in animæ corporisq; nostri*

EXTRE-

extremam perniciem dies noctesque intentos tanquam Leones rugientes obambulare, quærentes, quem devorent. Vicissim saltem illud ingeminamus: non arcessenda longè esse, nobis quæ cohabitant: hoc est, extra naturam quærenda non esse, quæ in eâ ubivis liceat offendere. Minimè gentium autem *Superstitione Papistica* aures manûsque damus, quæ malè baptizatis hanc ambulationem inter dormiendum contingere putat, quibus in Baptismo Sacerdos aliquid verborum vel ceremoniarum emisit. Nam præterquam quod *Experientia hoc vanissimum testetur*, dicente *Horstio cap. 3. in fine*; fundamentum ipsum quoque, cui destina hæc innuitur, lubricum ac ruinosum est oppidò. Integer factis efficacique Baptismus est, destitutus licet sit Magicis illis verborum demurmurationibus ac Ceremoniarum ineptiis, quæ mandato & promisso Dei prorsus vacant. Ludibria Dæmonis sunt, qui sic à regiâ Verbi divini viâ in humanorum commentorum præcipitia & avia abducit credulum ac stultum vulgus.

§. II. NATURALES ergò Causas Symptomatis istius unicè attendimus. Eas duùm facimus generum: Generales unas, Speciales alteras. GENERALEM Causam voco, quæ communis est omnibus talismodi Affectibus præternaturalibus. Eam duplicem constituo, Principalem, Animam; & Instrumentalem, Phantasiam. ANIMÆ omninò Sensitivæ, & quæ ejus vicem muniaque omnia in Homine fungitur, Rationali, principes debentur partes in Comœdiâ hâc. Actionem hîc habemus aliquam, non eam quidem sanam integramque, sed læsam, nec abolitam tamen prorsus, sed diminutam & depravatam. Ejus ergò fons ac origo prima vestiganda est. Quam non exhibent nobis nuda & cruda accidentia, sed Substantiæ & Forma cum maximè. Ab hâc fluunt tria iste Naturæ momenta: Esse, distingui, operari. *Ipsa namque forma illorum sanè accidentium perfectio est: atque hæc sunt illius quasi apparitores: ipsa autem Princeps. Nullum accidens agit, nisi per vim suæ substantiæ, differit Scaliger Exerc. VI. 5.*  
Verum



Verum quidem aliàs est de animâ nostrâ, quod idem Subtilitatis Magister habet *Exerc. CCLXV.* *Ejus substantia tametsi esse quit sine corpore, tamen dum est in corpore, sine corporeis objectis non potest initiari, ut ita dicam, sacris intellectiois: ergone agere quidem.* At in somno ea quasi extra suum corpus est, & juris sui facta, sensuumque regimine tantisper suspenso, nunquam minùs ociosa est, quàm cum ociosa. Habet tùm in unum collectas vires suas, quas alioquin hinc inde ad functiones partium distribuere par ac opus erat. Pluribus intenta minor erat ad singula: nunc defuncta operis, quieti se dat, secumque moratur, admirando sibi themata ac phasmata proponens. Rectè hinc Plinius *L. XI. H. N. Cap. 75.* *Est somnus nihil aliud, quàm animi in medium sese regressus.* Et Scaliger *Exerc. CCLXXXIX.* *Somnus à Deo factus non solum, quod quidem rectè ajunt, ad corporis recreationem, sed etiam ad animæ libertatem.* Qui enim, si ad officia spectes, propemodum plantæ vitam vivamus dormientes: voluit, ut tùm verè viveremus. Nam servus eo tempore liber est; atq; etiam dominus evadit aliquando, per insomnia. Prætorum animi suppliciis afficiuntur, per insomnia. Bonorum atq; Sapientum, veritatis investigatione, laudabilium officiorum functione, divinæ mentes sunt, per insomnia. Solutæ namq; non à corpore, sed à corporis penso suas agunt res. Se ipsas enim movent atq; etiam promovent ad effigiem sui finis: quæ sunt olim coram contemplaturæ.

§. 12. Anima autem immediatè ac per substantiam suam nihil agit, sed per potentias & qualitates intermedias, tanquam per instrumenta actionum suarum. Solus DEUS simplicissimus est, cujus idem est esse & agere. In solo DEO non distinguitur esse à posse, quippe cujus potentia ipsa est essentia, dicit Thomas *part. 1. Summæ quest. 54. art. 1.* Cæteræ Substantiæ per se ipsas nihil agunt, sed per qualitates superadditas. Non per se ipsum ignis calefacit, sed per calorem: non per se ipsum magnes ferrum trahit, sed per qualitatem attractricem: non per Substantiam suam anima videt, nutrit, concoquit, sed per potentiam visivam, nutritivam, concoctivam. Doctis-

C

simè

simè Thomas Fienus *De Viribus Imaginationis Conclus. XIV.*  
*Substantiæ sunt indifferentes ad omnem operationem, quare neces-*  
*sarium est, ut per potentias sibi superadditas ad hanc vel illam eden-*  
*dam terminentur. Quod idem Conimbricenses afferunt in*  
*L. 2. de Animâ c. 3. quæst. 4. art. 2. discurrentes: Quod ex se*  
*indifferens est ad diversos actûs, oportet ut per aliquod super addi-*  
*tum ad eos determinetur: sed essentia animæ in se spectata est in-*  
*differens ad quemlibet eorum actuum, quos edit. Oportet igitur*  
*essentiam animæ per aliquid ad hunc & illum actum determinari:*  
*id verò nihil aliud est, quam ipsæ animæ facultates seu potentia.*  
*Igitur potentia sunt aliquid super additum essentiæ. B. Dn. Meisne-*  
*rus in Disp. singlari duo cum primis adhuc Fundamenta ur-*  
*get. Primum est intensio & remissio potentiarum. Una eadem-*  
*que est omnium anima, non tamen intelligenti facultas, sed*  
*in hoc individuo subtilior, in altero crassior. Non omnes Sco-*  
*ti sumus aut Scaligeri, sed & quidam Corydones ac Tityri. ἢ*  
*δὲ ἕστια μὴ ἀπιδέχεται τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἥττον, Arist. L. Categor.*  
*e. 5. Secundum est lucta rationes & appetitûs. Idem cum sei-*  
*pso dissidere nequit, sed pugna omnis ad minimum inter*  
*duo. Quæ quidem hîc operosius discutere nihil attinet. Ani-*  
*mæ ergò ceu Reginæ PHANTASIAM ceu ministram addi-*  
*mus & Facultatem subordinatam. Multæ magnæque Vires*  
*Imaginationis sunt tum in moralibus, tum in naturalibus. Pu-*  
*ro multis potuisse ad Sapientiam pervenire, nisi putassent se perve-*  
*nisse, scribit Seneca De tranquill. animi c. 1. Multi magis pulchri*  
*sunt, quàm sunt, ludit Plautus Milite VI. 2. 94. Ferè plus sibi*  
*quisque videtur posse, quàm potest. Hinc omnia sibi tribuit,*  
*a. iis nihil. Ventum atq; aerem remove oportet, si quid in u-*  
*tres velis infundere boni: sic fastum ac tumorem eximi ne-*  
*cessum est ab animo ejus, qui Sapientiæ vacare velit. Sol*  
*quò magis in alto est, hoc minores jactat umbras, quo terræ*  
*propinquior, hoc majores: ita virtus quò major est & excelsi-*  
*or, hoc minùs videri cupit, quò minor aliquis est ac inferior,*  
*hoc magis efferere se cupit jactatione & ostentatione, sicut*  
*qui corpore gracili & macilento est, vestibus se dilatat. Rectè*  
*hinc*

hinc Quintilian<sup>9</sup> Institut. Oratoriar. L. 1. c. 1. Nihil pejus iis, qui paulum aliquid ultra primas literas progressi, falsam sibi scientia persuasionem induerunt. Nam & cedere precipiendi peritis indignantur, & velut jure quodam potestatis, quo ferè hoc hominum genus intumescit, imperiosi atq; interim se viuentes stultitiam suam perdocent.

§. 13. Ita in naturalibus vehemens Imaginatio multum potest. Læta cogitando, lætamur, tristia, tristamur. Oscitante uno, oscitat & alter. Peste corripitur, qui tempore pestis pestem sibi imaginatur. Fructus austeros comedentes qui spectat, horrore perfunditur. Nonnulli ad supplicium ducti virgæ aut linteï madidi ictu expirârunt. Libavius scribit part. 2. Singular. p. 139. Adversabatur quedam poculum illud, ex quo meminerat se medicinam hausisse, si tentaret, nausea & vomitionis minæ erant in promptu. Fienus dicit De Virib. Imagin. Conclus. XXIII. Qui imaginatur Venerem, ei coles excitatur, & spiritus moventur versus genitalia, & non ad aliam partem, seu diriguntur ad illam partem, quæ est instrumentum istius actionis, de qua est imaginatio. Qui imaginatur cibum aliquem lautum, ei saliva ad os movetur: motrice naturali ad palatum, quod instrumentum est illius actionis seu gustus, de quo est imaginatio, humorem illum dirigente. Cùm cogitamus de mingendo, vel cum videmus alios mingentes aut egerentes, micturimus, vel cacaturimus. Cùm videmus alios comedentes, aut de cibo cogitamus, incipimus famere: quod non videtur aliâ ratione fieri, quàm propter spiritus, quos natura mittit ad illas partes ab ipsâ imaginatione determinata. Ideò benè dicit Jacobus de Forlivio, propter obœdientiam virtutum superiorum ad inferiores phantasiâ ita movere virtutes naturales, ut ipse aliter moveant sanguinem & spiritum, quàm aliàs naturaliter moverent, si à phantasiâ non dirigerentur. Quidam in testam se commutatum esse existimabat, & proinde neminem sibi appropinquare volebat, ne frangeretur. Aliquis ex vitro sibi conflatas nates opinabatur, adeoque omnia sua negotia stando expediebat, ne si in sedibile se inclinaret, nates frangeret. Alius ex butyro se conflatum putabat, ideoq; clibanum

num accedere volebat, ne colliquesceret. Alius caput amputatum sibi esse rebatur, quem curavit Medicus imposito repente capiti ipsius plumbeo pileo, ut gravitatem sentiens, caput se recipisse putarit, gavisusque plurimum & restitutus fuerit. Alius qui se cornua gestare credebat, capiti cervinis cornibus alligatis ferrâque resectis & ostensis, insaniam liberatus est. Ut & ille, qui se in capite passeris habere dicebat, Medico per nares ejus se extrahere simulante, & ægrotanti quem in manu absconderat passerulum monstrare, sanatus fuit. Valeriola curavit quendam magno labore, qui ob amoris impotentiam miris visis noctu ac interdiu agitatus est, modò in iram furoremque raptus, modò in risum effusus: amatæ speciem perpetuò in conspectu se habere affirmavit, cui blanditus est, ac si præsens esset Persona ipsa: mox increpavit miris modis, quod amantem redamare nollet: omnis huic de amatâ sermo fuit, omnis inter lucis ivit dies: noctes sine somno tristis mœrensque consumsit, & ipse sibi injecisset violentas manus, nisi impeditus & à suis prohibitus fuisset. Tanta Phantasiæ vis, ut ex sano insanum, ex sapiente delirantem reddere possit. Ita deliria sunt vigilantium somnia, uti somnia dormientium deliria.

§. 14. Et licet erret Phantasia aliquando, sequitur tamen, quod ipsa sibi tam intentè impressit. Vincentius quidam tantam sibi imaginabatur corporis magnitudinem, quantâ ostium pertransire non posset. Et cum Medicus per ostium eum transportari jussisset, querulâ dixit voce, in transportatione istâ totum se fuisse contractum, & paulò post suum obiit diem. Alius cum inter Parentum sepulchra obambulet, & lapillum forte calcaret, adeò ut is adhæresceret calcis, à manibus Parentem trahi se clamavit, & intra diem septimum mortuus est. Medicus quidam Theophilus cum febreret aliquando, propter spondam suam magnam cornicinum tibicinumque manum adstare sibi imaginatus est, variis qui modis ipsi accinerent. Liberatus à morbo, nullâ ratione opinione suâ moveri potuit, quin factum ita crederet,  
& ami-

& amicos, qui opem ægro tulissent, incusavit, quod invidif-  
sent sibi lætitiã continentem. Sic timidis ac meticulosis  
Spectra subinde obversari videntur in tenebris, cum nihil  
minus adest, tantã interim cum efficacĩã impressionis, ut in  
morbum inde, sæpè & mortem conjiciantur. Etsi enim  
non negem ob imbecillitatem oculorum & aëris crassio-  
rem constitutionem, sub crepusculis imprimis, reverã alicui pro-  
priam sui imaginem occurrere posse: (uti Antipheron Ore-  
tanus argumento est, cui ambulanti perpetuò sua præire visa  
est imago, & ex adverso respicere, Aristot. l. 3. Meteor. cap. 4.  
item ille, cujus Vitello meminit L. 10. Optic. Prop. 61. qui cum  
multarum noctium vigiliis debilitatus, noctu propè ripam  
fluminis in crassiore aëre obequitaret, videre sibi visus est  
alium virum obequitantem, cumque ipse confisteret, confi-  
sentem, cum movente se pariter moventem, & omnes mo-  
tûs gestûsq; imitantem: cum autem è nebuloso aëre in sere-  
num pervenisset, equitem disparuisse) ut plurimum tamen  
phantasiã tantum corruptela est, & ex fictã malorum demo-  
num representatione stolidi terrificantur, ut Scaliger loquitur  
Exerc. CCXCVIII. 4. Huc & istud facit, quod Lugdunensi cui-  
dam mulieri contigit. Cui cum partus non procul abesset,  
& maritus hostili ac supra modum terribili vultu ei immine-  
ret, ac præ iracundiã gladium velut in cranium impacturus,  
stringeret, etsi fugã salutem uxor quæsisset, infanti tamen  
edito eãdem calvariã parte, cui acies minitabatur, magnum  
continuitatis divortium apparuit, statim ab enixu sic effluen-  
te sanguine, ut nullo conatu vel arte tempestivè reprimi pos-  
set, atque infans protinùs expiraret. Vide super his Dn. D.  
Sennertum De Cons. & Diff. Cap. XIV. item Institut. Medic. Lib. 5.  
part. 3. sect. 1. c. 7. p. 322. seqq. Schenckium l. 4. Obs. 130. Dn. Sperling.  
De Format. Hominis Cap. V. Q. 3. Instit. Phys. Lib. VIII. cap. 3. Q. 4.  
& De Animã Sensitivã. Cap. XIII. Q. 2. Hæc eadem ergò hic quo-  
que punctum fert omne. Unde B. Sennertus Lib. 2. part. 3.  
Sect. 2. cap. 2. Instit. Medic. p. 407. Anima sentiens in somno non so-  
lùm ab externo Objecto vehementer incitata & laceffita ad sentien-

dum se convertit, & primò quidem obscure rem percipit, postea subinde, ut clarius cognoscere possit, majorem spirituum copiam subministrat, qui ad sensus, qui afficitur, organum aditum quærentes sensus communis viam perumpunt, & ut animal sæpè etiam in somno moveatur, in causâ sunt: sed & ab interno objecto & imagine phantasiae oblatâ idem fieri potest. Imaginatio enim ab interno Objecto per somnum representato affecta movet facultatem motricem. Atq; ita non aliunde, quàm ex Imaginatione symptomatis hujus causa petenda videtur.

§. 15. At nec sic tamen superata omnis difficultas est. Nam Phantasia quid ex se? Sensus internus est: & sic ad Facultatem cognoscentem Animæ Sensitivæ pertinet. Cognitivæ autem potentiæ passivæ potius sunt, quàm Activæ, afficiuntur enim à Speciebus sensibilibus, quas recipiunt. Actionem transeuntem extra se non habent; nam ad immanentem quod facit, ita omnis potentia est activa, sed non nisi suæ actionis determinatæ respectu, & hîc quidem cognitionis. Insecunda ergò de se omnis cogitatio est & inefficax. Quantumcunq; enim quis (dicit Erius L. c. Conclus. XII.) diu lapidem inspiciat, aut de eo cogitet, aut habeat voluntatem eum movendi, nunquam movebit eum: ut ne quidem vel minimam plumam. Imò tantum abest, ut externam rem movere possimus, ut ne quidem partem propriam corporis gangrenâ aut paralyti affectam, quantumcunq; eam movere desideremus, & de movenda cogitemus, movere valeamus. Et Conclus. XXIV. Etiam si quis toto die imaginetur se esse calidum, aut velit esse calidus, non ideò calefiet, aut imaginetur, se esse frigidum, non ideò frigesiet: Æthiops imaginando albedinem per integros annos, non ideò albescet: fœtore anhelitus laborans, imaginando perpetuò odoris bonitatem, non ideò sibi faciet anhelitum odoratum: nec quispiam simplici suâ imaginatione per se ullam aut primarum aut secundarum qualitatem seu in corpus proprium, seu in contenta ejusdem, humores scilicet spiritusq; inducet.

§. 16. Directè proinde & solitariè sumpta Phantasia, nihil agit, nihil movet, sed nudè cognoscit. Indirectè &

cum

cum aliis Facultatibus conjuncta, stupendæ illa præstat. Ea enim excitat Appetitivam, hæc Locomotivam, ista spiritus & humores, quorum affluxus & refluxus mutationes illas infert. Hæc est pulchra ista causarum & actionem corona in Objecti cognitione, cogniti appetitione, appetiti prosecutione. De quâ Fienus *Conclus. XXI. Ad motum concurrunt tres actiones, se mutuo ordine necessario consequentes, cognitio, appetitio & motio. Etenim motio est ad aliquid prosequendum vel fugiendum; non prosequimur aut fugimus, nisi quod appetimus aut declinamus, itaq; concurrit appetitio: non appetimus, nisi quod cognoscimus, itaq; concurrit cognitio. Prima ergo est cognitio, inde sequitur cogniti appetitio, ultimo est appetiti prosecutio, quæ fit per motum.* Et Dn. D. Sennertus *Epit. Instit. Medic. Lib. i. cap. XV. Postquam Objectum externum per sensus externos & communem Phantasia offertur, ut commodum & gratum, vel noxium & ingratum cognoscitur. Cognitionem hanc sequitur amor vel odium, seu appetitus rei gratæ & fuga noxiæ. Appetitum sequitur in brutis statim motus, in homine tamen facultatis intelligentis judicium accedit, quæ quid reverà bonum vel noxium sit, æstimat. Facultas tandem motrix motum ab appetitu seu sensitivo seu rationali imperatum, prout hic vel ille superior est, exsequitur, muscidis, utpote adæquato motus instrumento, contractis, qui tendines attrahunt, hi ossa, ossibus deniq; motis membrum vel totum corpus ad apprehendendam rem gratam, vel fugiendam noxiam, de loco in locum transfertur. Hæc eadem hîc quoq; in Noctambulis nostris advertenda. Habet in se Phantasia species aliquas ab Objectis certis per exterios & communem sensum delatas, aut Marte proprio novè fabricatas. His dum speculando indulget, movet paulatim Appetitum ad rem ipsam concupiscendam, cumque eâ se unendum. Ut potiatur appetitus amatâ re, Locomotivam incitat, quæ spiritibus musculisq; variè concitatis & agitatis semisomne corpus elevat, & loco lectoq; movet. Tàm fortis & intenta istis est phantasia, quæ Appetitum ac Locomotivam stimulat, quibus stimulis organa motui destinata moventur, & id quod jubentur non secus ac interdum exsequuntur. Præclare ac nervosè*

vosè iterum Magnus Sennertus Instit. Med. p. 407. Motum hunc  
animalem esse, atq; oriri beneficio pedum ac manuum, & motui pro-  
gressivo atq; apprehensioni dicatorum organorum, perinde ut invi-  
gilantibus, certum est. Cum autem ad motum animale non so-  
lum requiratur instrumentum, sed & virtus locomovens, atq; præ-  
ter hanc appetitus, qui motum imperat, & locomotivam impellit;  
appetitus autem stimuletur à phantasia, quæ objectum oblatum co-  
gnoscit, atq; appetitui offert, & illud fugiendum vel sequendum mo-  
net; atq; ita in motu animali sese hæc consequantur, objectum obla-  
tum, phantasia illud ut bonum vel malum agnoscens, appetitus ut  
bonum cupiens, vel malum aversans, vis movens, atq; instru-  
mentum, quod motum obit: etiam in Somnabulorum motu hæc  
inveniri necessum est. Haftenus Causæ Generales:  
restant Speciales.

GLORIA IN EXCELSIS DEO!

---

*Ad Doctis.*  
Dn. Respondentem.

**A**bdita Naturæ secreta, omnesque recessus,  
Atque amplas, doctus quas habet orbis, opes,  
Scrutaris, quæ vis hominem de nocte fatiget,  
Possit ut in somnis membra movere loco.  
Gratulor & voveo, ut toto applaudente theatro  
De somnis vigilans dicere plura queas.

*M. Johannes Meisnerus,*  
SS. Theol. Prof. Publ. extraord.  
& Coll. Philos. Adj.



Q. K. 355, 22.

NOO

A. D. X

M. SA

JOH



Impensa

ILIS

XLIX.

RIUS,

ER,

1661.

Q. n.

